



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Quæ requirantur ante Communionem vel Missam. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

## CAPVT TERTIVM.

*Quae requirantur ante Communionem vel Missam.*

12. **D**vo requiruntur, vita bona, & variae deuotiones, seu deuotae piae praeparationes. Quamuis enim sanctissima Eucharistia suscipi soleat, etiam post vitam malam, bona confessione expiatam, hoc in loco pro iis tantum haec monita seu consilia, scribuntur, qui diuino beneficio à peccatis mortalibus abstinent, & pie viuunt. Ideo explicandum est, quae praeparatione seu dispositione huiusmodi personae ad sanctissimam Eucharistiam, vel Missam accedere debeant, ut in iis sanctissima Eucharistia copiosiores suos effectus relinquat. Dico ergo duo ad hoc illis necessaria esse.

*Primo.* Vitam bonam.

*Secundo.* Deuotiones varias.

13. **V**ita bona, etsi remota, est tamen solida dispositio ad Eucharistiam; deuotiones vero sunt dispositiones propinqua. Bonitas vitae necessaria ad recipiendos eximios fructus sanctissimae Eucharistiae, duo requirit.

*Primo.* Puritatem corporis & animae talem, vel acquisitam, vel magno conatu desideratam, qualis est alibi à me descripta, cum variis gradibus suis. Ad cuius complementum, conducunt monita à me data, de modis abolendi peccata venialia, & alia de modis euadendi poenas purgatorij.

*Secundo.* Requirit conatum quandam spiritualem, qui vitae nostrae accedit, tum ex operibus ordinariis, eo modo peragi solitis, qui explicatus est in Opusculo de Praesentia Dei, & in Opusculo de Negotiatione caelestium, tum ex operibus supererogationis, quae vltro adhiberi solent, ad Deum sanctius colendum, ut sunt opera externa mortificationis sensuum, frequens oratio, elemosyna, & alia opera pietatis. Ad utrumque autem conducunt monita data in Opusculo de cura minimorum. Quod si quis Dei ope assecutus est.

*Tertio.* Priuilegia quae Deus largitur fidelibus suis seruis ( explicata à me in peculiari Opusculo ) accedens ad sanctissimam Eucharistiam, vel Missam, cum optimo animae suae ornatu accedet, & percipiet valde copiosos fructus huius diuinissimi Sacramenti, quod, ut docent Theologi, plures effectus & praestantiores confert iis, qui cum ratione gratia interna habituali & actuali dispositione ad illud accedunt. Huc spectat modus viuendi, secundum monita data in opusculo, de negotiatione caelestium, qui viuendi modus, insignis est ornatus animae ac dispositio ad sanctissimam Eucharistiam. Sed ferè omnium optima dispositio est, vita exornata.

*Quarto.* Renuntiationibus separato Opusculo explicatis. Qui enim pro Deo priuando se rebus amori proprio iucundis, eas perfecte & ex corde renuntiauerit, experietur procul dubio, magnam Dei erga se liberalitatem in sanctissima Eucharistia, quia cum eximio animae suae ornatu ad sanctissimam Eucharistiam accedet, & tali, quo vix maior in hac vita esse possit.

*Secundum* quod requiritur ad bene communicandum, vel sacrificium Eucharistiae offerendum, sunt variae deuotiones, id est, variae piae considerationes, intellectus & pia affectus voluntatis, qui tanquam magis propinqua dispositiones, variis modis à vitæ spiritualis Magistris proponuntur. Meum consilium est, ut quisque illum sequatur modum, quo se magis sentit excitari ad pietatem, seu Dei, & rerum diuinarum gustum & amorem. Sicut enim non omnes cibi aequè omnium palato placent & gustui, nec omnes omnium ventriculo sunt accommodati, sed vnus vnus, alter alteri, ita & spirituales doctrinae ac monita, & pia considerationes & affectus, non omnes omnibus ardent. Ego eos hic proponam, qui mihi videntur magis viles, & vberem affectuum ac meritum materiam continentem.

## CAPVT QVARTVM.

*De actuali dispositione pro Communionem vel Missa dicenda.*

**L**oquar hoc capite de illa dispositione, quae ante inchoatum sacrificium Missae praemitti debet, postea capite nono agam de dispositione quae adhibenda est immediatè ante susceptionem sanctissimae Eucharistiae, post dictum ter: *Domine non sum dignus.*

*Primo.* ob reuerentiam Dei in Eucharistia recipiendi mundo corpore, praesertim manibus accedendum est ad sacrum altare. Si enim Sacerdotes Leuitici, sacrificia Moisaica oblaturi, ex Dei praescripto debebant lotionem corporis praemittere, & populus vesci non potuit rebus sanctificatis, nisi prius aqua carnem suam lauisset, cum tamen sacrificia & Sacramenta legis veteris, fuerint infirma & egena elementa: & neminem potuerint iuxta conscientiam perfectum facere, nec vnquam auferre peccata; sed tantum erat umbra futurorum donorum; Quamò magis decet, ad nouae legis sacrificium & Sacramenta accedere, purgata à sordibus, etiam corporeis, carne, Christi corpus, sanguinem, animam, & diuinitatem, sacramentaliter & realiter intra se receptura, & diu intra se incarnatum Deum conseruatura.

*Secundo.* Praemittendae preces Ecclesiasticae Officij diuini, scilicet Matutinum, Laudis, & saltem